

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Hortvs Ciceronianvs sive Flores Apophthegmatum &
Historiarum e Scriptis Ciceronis in Vsum &
delectamentum Studiosae pubis excerpti**

Omeis, Magnus Daniel

Norimbergae, 1699

14. Nimrodvs tyrannus

urn:nbn:de:bsz:31-105410

14. *NIMRODVS* Tyrannus.

Nimrodus Chusi filius, Chami nepos, vir audax & strenuus, Babylonem ædificat, armaque ad subjugandos alios primus capit. Parentum enim auctoritate neglecta, quæ mitissima dominatio fuit, omnis honestas & gravitas inter homines concidebat, crescebatque scelerum & flagitiorum impunitas. Ideo Nimrodus vi obedientiam extorquet, & pœnis statuendis dominatum contra rebelles occupat. Dicitur, sermone multitudinis, venator coram Deo, quia violentus & injurius erat, & ad agendum secundum suas leges, minus potentes sine respectu atque discrimine cogebat. Ab eo initia facta sunt Monarchiarum, quas Deus texit, ut in iis maneret aliquis Ecclesiæ nidulus, qui præsentia Dei defenderetur, etiamsi servitute variisque arumnis inter imperia sæva &

e 2

super-

superba homines innocentes & pii
premerentur.

15. ABRAHAMVS.

Abrahamus e patria Chaldaea, vocatu Dei, in oras ignotus proficiscitur, & ex idololatra pater fit creditum: cui Deus inter multas exiliorum ærumnas aliquoties promissionem repetit, de ipsius videlicet semine eum proditurum, in quo sint benedicendi omnes populi terrarum: ad quam confirmandam, terra illi Chanaanæ promittitur, non ut sedes firma & perpetua, sed ut hospitium Christi nascituri: foedus quoque circumcisionis cum eo sancitur, non ut iustitia coram Deo, sed ut iustitiæ fidei signaculum. Vxorem habet annis & sterilitate emortuam; & ipse decrepitus, filium ex ea miraculose editum iubetur occidere; & Dei mandato obtemperasset.